

Q.K.401,8.

X 1863 120



FRIDERICI HOFFMANNI, D.  
MEDICI ET PROFESSORIS ELECTORALIS  
IN ACADEMIA FRIDERICIANA  
h. t. DECANI,  
*PROPEMPTICON INAUGURALE*  
DE  
PANE GROSSIORI  
WESTPHALORUM,  
Vulgò  
*Bonpournickel.*



F. F!



Nimantium corpora,  
jugi motu calidi & fluidi interni va-  
riè exagitata partes aliquas sui con-  
tinuò amittere & hinc congrua-  
quadam reparatione egere, res est  
certissima. Illud ipsum jam com-  
modè perficitur alimentis quæ in

humorum absumptorum substantiam facescere atque  
converti, & corpus nostrum tam alere quam augere de-  
bent. Ex horum genere primas obtinet panis, Isiodoro à  
παῦ dictus, quod omne quasi alimentum absolvat. Basis  
quasi ciborum hic est, & alimentum universale, natu-  
ræ admodum consentaneum, ventriculo acceptum ci-  
tra ullum fastidium, omnibus ferme gentibus ac priscis  
familiare, totque seculorum ac nationum longo usu  
comprobatum, hinc alimentorum facile Princeps. Et  
enim frumentum omne & ex eo confectus panis ele-  
menta complectitur valde affinia succis nostris vitali-  
bus, negata ceteris rebus alilibus. Constat nimirum,  
fluida nostræ machinæ ex diversissimis ratione figuræ,  
molis, corpusculis esse composita, variaque elementa  
ibi contineri chymico igne eruenda, nimirum, sulphur  
oleum & sal volatile, mucilaginem, terram, aquam &  
quæ sunt generis alia. Similia quoque reconduntur in

pa-

pane: nam destillatus fundit spiritum acidulum, oleosum, qui præter alia & coralliorum substantiam prompte solvit & rubineam tinturam digestione prævia constituit, medicamentum non contemnendæ virtutis ; Deinde magnam olei inflammabilis largitur copiam, nec non terram fixam nigram à destillatione restilem præbet ; mucilaginosa ejus & lenta substantia ad ipsum sensum patet. Spirituosas subtile particulas ipsi & vim confortantem inesse præter testimonium S. S. & odor panis refocillatorius item aqua ex pane præcipue grossiori parata, virtutis analepticæ à Medicis mirum laudatæ, nec non quotidianus ejus usus vires firmans suppeditans comprobatur. Præterea ventriculus hoc alimenti generè apprimè gaudet propter acidum subtile & blandum, quo gastrici menstrui vis & activitas dissolvens egregie adjuvatur & exaltatur. Plura in hanc rem de panis natura, viribus, variisque generibus veteribus jam cognitis commentari possemus, si instituti nostri permitteret ratio : Possunt autem evolvi Hippocr. Libr. 2. de vict. rat. sect. 4. pag. 22. 23. It. Athenæus Libr. 3. cap. 17. & 18. Pollux Lib. 7. cap. 11. & Plin. Libr. 18. cap. 7. Placet saltim in præsentiarum panem illum grossiore quo Westphali pro victu quotidiano utuntur, à Gallo peregrinante denominatum Bonpournickel paulo penitus examinare ejusque naturam ac vires breviter strictimque evolve-re, atque usum ejus à multorum contemptu vindicare.

Priscis jam tum gentibus panis hic cognitus fuit, dictus furfuraceus, quoniam à furfuribus non repurgatus teste Gellio Lib. 2. cap. 9. it. impurus vid. Hipp. l. 9. Athenæus lib. 3. p. 125. syncommistum vocat, ex farina incerniculo non excussa subactum. It. Coliphium αποτελων

membrum & ἥφι robur quasi robur membrorū appellavit vid. *Petr. Faber Agonistices Libr. III. c. III. Caelio Rhodigino Lib. 9. c. 16.* dicitur cibarius & gregariq; *Terentio* ater. Hoc panis genus magno semper in pretio habitum fuit ad alendum & firmum ac robustum corpus reddendum: Hinc furfuracei panes πυλυτροφώτεροι h. e. multum nutrimenti habentes, & qui ex polline seu farina purissima confecti sunt ὀλιγοτροφώτεροι seu minus alimenti dantes dicti sunt teste *Athenaeo l. c.* Hanc ob rationem olim Athletæ, qui robustissima membra & nimio sanguine atque adipibus quasi luto involutas animas habebant, coliphium illud duntaxat edebant in prandio; in cœna verò carnem suillam non elixam, sed igne paululum assatam, & aquam calidam bibebant, ut alimentorum duritie ac crassitie non modo uberioris nutrimenta, sed etiam diutius sati permanerent vid. *Petrus Faber l. c. pag. 231. it.*  
*Galen. de alimentis & Arrianus Libr. 3. Verrius apud Plinum* Author est, populum Romanum furfure tantum è frumento, 300. annis usum fuisse. *Vid. Fulvii Ursini Append. pag. 316.* Durus quippe & firmus hic victus minus corruptibles generat succos, duplo plus nutrit, fami magis resistit & generat corpora firma perferendis laboribus injuriisq; tolerandis idonea & à morbis maxime qui à dissolutione massæ sanguineæ calida proveniunt immunia; cuius asserti veritatem sufficienter corroborat tota Westphalica gens robusta firma, gravissimisq; laboribus & injuriis tolerandis apta. Notabile est, populum illum raro infestari febribus acutis, & morbis ab humorum ebullitione & sanguinis elementorumq; dissolutione quadam maligna ortis, sed magis hic morbos frigidos & chronicos grassari, quod utique crasso victui & duræ

diæ-

diætæ adscribendum est. Cum enim alimentorum pauciorum corruptibilem fit assumptio, tardam nec tam acrem subeunt humores fermentationem, unde & calor nimius viscosarum partium impedimentis obtunditur, nec humores texturæ firmioris tam facile divelli & destrui à fermento morboſo poſſunt. Præterea ingeniorum & morum constantia & ſolidum in rebus gerendis judicium, quo Westphali præ aliis nationibus pollent, & ob id ad Ecclesiæ & Rerum publicarum gubernationem etiam in peregrinis locis præ indigenis adhibentur, meo judicio partim educationi, partim victus rationi adscribendum eſſe existimo. Ad laborem adſveti ſunt: Ut autem homines nihil agendo male agere diſcunt; ita rursus honestis laboribus multæ pravæ cupiditates & vitia reprimuntur. Viſtus autem hic magnum contribuit ſymbolum. Pulchrè docet Philoſoph. Lib. i. Pol. 3. viſtus alimentique diverſitatem diverſas ac diſpareſ hominum vitas efficer; nec ſine ratione: perpetuum enim corporis & animi commercium ac vinculum eſt. Qualis conſtitutio ac motus ſpirituum ſic diſtorum animalium, tales quoque inclinations cogitationes animæque actiones moresque exſurgunt, id quod firmiſſimiſ rationibus adeo eſt maniſtum, ut fruſtra operam ponere vellemus, ſi Medicorum trivio nota hie congereremus: nec obſtat hic crassum viſtum crassos procreare ſpiritus; utpote labore ac motu viſcidæ particulae ſatis dividuntur præparantur ſubtiliſtantur, ut non tantum intimiori alliſione ad tubulos corporis in augmen- tum ſolidicedant, verum etiam ſpiritus progenerent ſatiſ firmos & ſufficientes quamvis non fluxiles incoſtantes: Et utut ſanguine prædicti ſint frigidiori, ſuffi-

ciente tamen gaudent spirituum animalium activitate.  
Notissimæ sunt observationes, quod quæ spiritu ga-  
dent intestino & pariter per liquidi poros diviso, pres-  
sione rigidorum crassiorum, in medium se recipere & ad  
difflationem minus apta esse, ut sic in centrum coactæ  
& unione fortiores particulæ spirituosa magnam habe-  
ant vim & potentiam. Non tamen negandum est, vi-  
etum hunc crassiorem & minus rutum esse illis personis,  
quæ imbecilles sunt, quiete ac otio fruuntur nec labori-  
bus assuetæ. Hinc sapienter scribit Hippocr. de Medic. pri-  
scor. sect. 1. pag. 14. Valentiora alimenta hoc habent, quod à  
natura si superentur, nutriant egregie, si non, dolores &  
morbos frigidos producunt, & Celsus dicit pag. 106. Valentio-  
raminus facile concipi, sed si concocta sint plus alere. La-  
bore, itaque & motu opus hic est. Corpora athletica nutri-  
tionem recipiunt solidiorem quam tranquilla & otiosa,  
ubi suspecta magis omnis nutritio & pinguedo est. Mo-  
tus enim est & sanguinis circuitus, qui intimiore atritio-  
ne & vi sua elastica crassas alimenti particulæ resolvit,  
subigit, digerit & in substantiam corporis nostri con-  
vertit: Quies autem omnem nutritionem sufflaminat,  
obstructiones morborum genitrices atque ingenium  
tardum ac fluxile parit.

Ex hisce jam liquido constare existimo, plurimam  
alibilem qualitatem in pane Westphalorum consistere,  
& quidem tantam, ut securius & meliori fato laboribus  
assueti firmissimo hoc nutriendi genere utantur, &  
corpora illorum ac ingenia instaurentur, quam nos de-  
licatori ac tenuiori victui & otio adsveti. Sique porro  
rem paulo accuratius ad rationis momenta exigere ve-  
limus, hic offerunt se plurima clarissime: Multum enim  
distat

dicitur natura & indoles panis grossioris furfuracei ab illo, qui ex farina purissima præparatus est. Westphalicus si destilletur, copiosissimum empyreumaticum & inflammabile præbet oleum: mediocrem quantitatem panis medius; minimam seu potius nullam panis ex tritici farina purissima factus seu simila. Imo destillati furfures copiosum semper fundunt oleum, cuius preventus mea sententia cortici externo duriori, qui ab aëris calore jugiter atteritur, debetur. Notum autem jam est, quam activum principium naturæ nostræ & mixtræ sanguineæ consentaneum & humorum balsamum, ac temperiei nativæ custos sit oleum destillatum: Ipse sanguis abit in oleum, & inflammabilis est & quo magis de hoc principio participat, hoc firmiores suppeditat vires sanitatis & vitæ nostræ conservatrices. Oleum destillatum mineram ac matricem esse salis volatilis, quo mirè gaudet regnum animale, compertum est rerum chymicarum gnaris. Ex hisce jam apparere existimo, quantam prærogativam hic panis habeat præ aliis sui generis. Alimentum verè dici potest medicamentosum, quoniam præter qualitatem corpori nostro similem, habet & aliam, quâ insigniter afficit, intemperiem humidam emendat, exsiccat, à putredine defendit & spiritus recreat, quare loco medicamenti tali in casu ubi vires jacturam passæ sunt, ubi sanguinis robur deficit & dissipatio spirituum metuenda, adhiberi potest sive injusculis, quæ cum vino, saccharo & cinnamomo parata, sunt optima confortantia vel in aqua ejus destillata, saporis svavissimi, in phthisi, hectica & virium defectu egregia. Taceo ejus usum externum in capitis dolore, & ubi dissipatione humorum stagnantium opus est eximium.

um. Tandem ultimo panis hic crassior singularem fo-  
vet virtutem aliis panibus non concessam, quod licet sit  
crassioris texturæ alvum tamen subducat: Notata hæc  
virtus jam olim fuit ab Hippocr. dum scribit *Libr. 2. sect. 4.*  
*pag. 23. Panem ex farina integra non excussa alvum subduce-*  
*re purum vero minus sed magis illam constipare.* Hanc vir-  
tutem maxime derivandam esse existimo ex furfuribus  
rigidioris texturæ ac figuræ, quæ tenuissimas intestina-  
les fibras ad motum excretorium promptiores sollici-  
tare & irritare continuò possunt, *furfures enim teste Ga-*  
*leno virtutem habent deterioriam.* Hinc in praxi obser-  
vantur & talia iuscula ad alvum laxam servandam esse  
accommodatissima.

Quod concernit medicamenta ex pane hoc West-  
phalico concinnanda, ex illis laudem eximiam meretur  
ad vires restaurandas & humidum homogeneum cor-  
poris resarciendum in ferore sanguinis hectico aqua,,  
quæ paratur seqq. modo. Sumatur panis contusi libra  
j. Succi cancrorum fluviatilium libra dimid. aqv. roris  
maj. mensur. ij. aquæ rosarum unc. iv. nucistæ unciam  
dimid. croci. drach. j. Destillentur hæc invicem in Bal-  
neo M. moderato calore, sic prodit aqua egregie con-  
fortans svavisimi odoris stomacho grata & ad restin-  
gvendum æstum' hecticum eximia, si quotidie ad men-  
suram dimidiā sumatur vel sola vel cum pulvere cor-  
nu cerviphilosophicè præparato. Porrò si spirituosa m  
stomachalem expetis, destillandus panis hic est cum vi-  
no Rhenano adjecta nucista & cinnam: Sufficiente  
quantitate fit exinde aqv. stomachum corroborans in  
nimia ejus laxitate, vomitu, appetitu dejecto summè  
proficua. Præterea spirit. panis ex pane sicco in retor-  
ta

ta destillatus, & probè ab oleo suo fœtido rectificatus & purgatus medicamentum sudoriferum est naturæ non adversum, quod tenuitatem sanguini conciliat hinc ad scorbutum & sanguinis impuritatem tollendam summè proficuum. Si radiis solis per aliquod tempus exponitur tincturam induit rubineam. Fusius hujus spiritus laudes recenset Job. Takius in Chrysogonia animali pag. 76.

Nunc ad ea convertamur, quorum gratia hæcce præmisimus, nimirum

VIR CLARISSIMUS

## STEPHANUS HUSZTI,

MEDIC. CANDIDATUS DIGNISSIMUS,

Ob ingenuas suas virtutes & eruditionem ac peritiam in arte medica non vulgarem hic commendandi ansam præbet. Natus est Hungariæ in Comitatu Maramaros Anno M. DC. LXXI. Patre omni pietate & virtute conspicuo Domino STEPHANO K. SZABO, Matre vero Dom. CATHARINA WAS, piarum exemplare fœminarum, à quibus non tantum sanctioris vitæ & morum præceptis imbutus, sed ingenuè educatus fuit. Jactis pietatis & primæ Latinitatis in trivio fundamentis missus est, A. M. DC. LXXXII. in illustrem Scholam Debreczinam, Professoribus tunc temporis ibidem celeberr. D. MARTINO SZILAGYI & D. PAULO LYSNYAI, nunc beato, quorum sub duetu humaniorum studiorum ac literarum notitiam hau sit egregiam. Exactis ibi IV. annis, migravit in Claudiopolim Transylvaniam, ibique celeberrimum Reformatorum Collegium frequentavit. Erant tunc temporis

X)( ibi

ibi Viri eruditionis cultissimæ D. STEPHANUS  
PATAKI, qui nunc in cœlis & D. SAMUEL sz. NE-  
METI, quorum sub auspiciis fidelissimaque manu du-  
ctione maximo literarum amore incensus partim pu-  
blicis, partim privatis lectionibus & studiis Philosophiam,  
Theologiam diligentius audivit & exercuit per quatuor  
itidem annos. Solidiori sic doctrina instructus sua fu-  
ac consilio tam Charissimorum Parentum quam Am-  
plissimorum Virorum, quibus salus ac felicitas Patriæ suæ  
semper curæ cordique est, transmigravit in Germaniam,  
& primum Inclytam Francofurtensem Academiam  
Anno 1691. salutavit, ubi Medicinæ & Physices studium  
ad quod proclivis semper ingenio erat, omni studio ag-  
gressus est, & ducem quo regeretur natus est Excel-  
lentissimum D. BERNHARDUM ALBINUM,  
Medicum & Professorem consummatissimum, Fauto-  
rem nostrum ex paucis æstumatissum, sub quo Phy-  
sicam solidiorem experimentalem, veram alniæ Medi-  
cinæ matrem ac fontem edocetus est. Eodem quoque  
tempore Experientissimum Virum D. NICOLAUM  
NOEL, Medicam Physiologiam & prixin privatissi-  
mè tractantem audivit. Anno 1692. profectus est in Aca-  
demiam Franekeranam, ubi Celeberrimi Medici & Pro-  
fessoris LATANE Colleg. Medic. in Waldschmidii In-  
stitutiones frequentavit, nec non ipsum privatim & pu-  
blicè tam brutorum quam hominis cadaver secantem  
vidit egregio suocum fructu. Anno 1693. Lugdunum  
Batavorum omnis elegantioris Literaturæ & scientiæ se-  
dem & arcem se contulit, ibique undiquaque Celeberrimi-  
mos Medicinæ Antistites D. CAROLUM DRELIN-  
CURTIUM, Physiologiam publicè docentem & D.  
PAU-

PAULUM HERMANNUM, Botanicorum Prin-  
cipem, nunc beatum, rerum naturalium ac plantarum  
naturas & vires evolventem, nec non Clarissimum D.  
JACOBUM LE MORT, chymicis laboribus vacan-  
tem summa cum diligentia audivit. In Physicis sub Præ-  
ficio subtilissimi Philosophi D. BURCHERI DE VOL-  
DER, quatuor habuit Disputationes. Eodem Anno An-  
gliam transvectus est, & Londini Societatis Regiæ labo-  
ratorium chymicum sub Præfectura D. STAPHORST,  
Chymici famigeratissimi visitavit. Oxoniæ Solennitati-  
bus Academicis ejusdemque Jubileis interfuit & in Dispu-  
tationibus publicè opposuit. Inde reversus eodem Anno  
Lipsiam petiit, ubi Præceptorem nactus est Virum Am-  
plissimum & Practicum Experientissimum D. A N-  
DREAM PETERMANNUM, Professorem fide-  
lissimum, cuius informationem in Chirurgicis, Anato-  
micis, Chymicis, Practicis magno extollit encomio, sub  
cuius etiam Præficio publicè de SUBJECTO CORPO-  
RIS HUMANI Disputationem doctè defendit. Priva-  
tim dexterima manuductione usus quoque est Celeber-  
rimi Professoris & Medici Professoris & Medici Excellen-  
tissimi D. A. Q. RIVINI, Fautoris & Amici nostri hono-  
ratissimi, in Collegiis, Anatomico, Botanico & in Mate-  
riam medicam. Solerti quoque mente Clariss. D. ORT-  
LOBIUM, demonstrationem cadaveris humani docto  
discursu adornantem audivit. Tandem ad nos mense A-  
prili ejusdem anni se transtulit, ubi tempus suum indefes-  
so labore ac studio transegit, tum Collegiis meistrum Phy-  
sico mechanico curioso, quam Chymico experimentali  
sedulus interfuit. Collegium Practicum, in quo præter  
doctrinam de causis & signis morborum, succinetam  
meden-

*ANITA 113*

medendi methodum cum cautelis practicis tradidi, frequentavit quoque insigni amore ac studio. Disputationem Physices experimentalis axiomaticæ novæ primam de **CORPORUM PRINCIPIIS ET AFFECTIBUS** optimè defendit. Instructus sic locupleti solidæ doctrinæ ac peritiæ in re media thesauro petiit modestè ab ordine nostro, ut insignia, honores, privilegiaque quibus egregia professionis nostræ ingenia exornari solent, ipsi conferantur: ad examina itaque admissus pulcrè stetit & ad interrogata ordine & solidè respondit, ut unanimi consensu ad honores illos capessendos dignus judicatus fuerit. Nihil jam reliquum est quam ut in luce oculisque totius Academiæ se sistat & virium suarum documentum publicè prodat, quod proxima die 23. hujus mensis fiet, dum me Præside **DISPUTATIONEM INAGURALEM, DE PRUDENTI MEDICAMENTORUM APPLICATIONE IN TEMPORE**, ventilabit. Ad quem actum Magnificum Universitatis **RECTOREM**, Illustrissimos Comites & Baronies, Amplissimum Magistratum Academicum & Civilem, Generosos & Nobilissimos Cives nostros, omnesque qui studiis nostris favent, eo quo convenit cultu, reverentiâ invito, rogo atque exoro.

P P. Halæ Magdeb. d. 22. August.


Anno M. DC. XCV.



*lom*



humoru  
converti  
bent. Ex  
wāv dicti  
quasi cil  
ræ admic  
tra ullun  
familiare  
compro  
enim fru  
menta c  
bus, neg  
fluida no  
molis, c  
ibi contin  
oleum &  
quæ sunt



corpora,  
uidi interni va  
liquas sui con  
nc congrua  
egere, res est  
um jam com  
mentis quæ in  
cescere atque  
m augere de  
nis, Isiodoro à  
bsolvat. Basis  
versale, natu  
acceptum ci  
ibus ac priscis  
um longo usu  
Princeps. Et  
tus panis ele  
nostris vitali  
stat nimirum,  
tione figuræ,  
que elementa  
rum, sulphur  
am, aquam &  
conduntur in  
pa-